



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659

§. II. Hanc doctrinam scrupulis occasionem non præbere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39536

stante, contractu illo, sine peccato, uti non possunt. Si ea pauca, quæ dixi, attentè ponderentur; nulla prorsus difficultas restat.

§. I I.

*Hanc doctrinam scrupulis occasionem
non præbere.*

AD te redeo, Willelme: statim initio pro fundamento statuis, neutram partem tutam, aut securam esse; * ne illam quidem, quæ probabilior est, aut talis videtur: quia *sola vera secuta est*. At nescio utra sit vera: igitur utra sit bona, & à peccato immunis, nescio; igitur inde anxius, perplexus & dubius resto; quis hoc neget? igitur cum dubia conscientia operor; igitur pecco, quoties lumen certæ veritatis mihi non affulget. Cuncta hæc ultrò fateris, saltem tacitè, immò satis expressè. vis enim à viro pio falsitatem illarum opinionum, quas Casuistæ probabiles reputant, certò cognosci, idque *unctione*, inquis, & *spiritu sancto docente*. Ad tuam illam arcem spiritus interni statim confugis. Si verò ambigat, & hæreat vir ille pius, convertat se ad Patrem luminum, inquis, qui dat omnibus affluenter. Rectè mones: neque hoc Casuistæ negant. Consulat viros pios & doctos: ain? quos verò tandem? Jansenistas, Arnaldistas directores Portus-regalis. At si dubitet, utrùm illi sint pii, docti, tuti, veri Catholici, alios fortè consulere non debet? consulat, inquires; sed non Jesuitas, non Casuistas. nempè non sunt illi viri docti & pii. Quando litem habes, mi homo, quem, amabo te, consulis? medicumne, an jurisperitum? hunc, ni fallor: nam in sua cuique arte perito credendum

* Pag. 93.

dendum

dendum est. In rebus moralibus & casibus conscientia, si quid difficultatis sentias, quem consules? quemlibet, inquires, modò non Jesuitam, aut Casuistam; id est, modò non peritum. Quod denique de sancto illo tremore Sanctorum subnectis, reverà accipio: est enim, quòd homo Deum timeat, & valde sollicitus vivat: inter hostes vivit, cur non timeat? domi & foris inimicos habet, de quo jam supra. At dubium excutiat, necesse est, ut hic & nunc benè agat: quisquis enim dubitat, ne actio aliqua ex objecto, ut ajunt, mala sit; haud dubiè peccat, si eam elicit. Hæc tamen glutis Willelme, & trepidas & alios trepidare vis, ubi non est timendi locus; audax verò & intrepidus prodis, cum te timor continere deberet.

SECTIO V.

De duobus erroneis consuetudinibus.

S. I.

Primum refellitur.

Casuistæ, inquis, docent, ex opinione probabilis, quam quis falsam putet, eidem licere dare consilium, ut Layman, Vasquez, Sanchez; quod sanè absurdum, nefandum, & impium est. * Si diceret, tibi absurdum, & impium videri, cum absurdis & Heterodoxis hominibus multa impia & absurda videantur, quæ tamen rationi consentanea, & sancta esse constat, utcumque tolerari posses; sed quod ita esse, impudenter clames, quis, amabo, ferat? sed

* Pag. 94. 95. 96.

amicos